

c. 1. ad
Glaucōn.

coctis, dein colatis, tum saccharo aut melle ad saporis gratiam aut syrupo vno pluribusve dulcoratis, aromatibus conditum, quo ad humorum preparationem, interdum ad earum euacuationem, interdum ad vtrumque vtimur.

Veteres, vt ex Galeno colligere est, vtiebantur apozematibus hoc pacto confectis: Nonnunquam herbas virentes, aliquando siccas in hydromelite siue mulsa decoquebant: dein colo transmittabant; & propinabant.

Horum vires eadem, quæ simplicium, ex quibus conficiuntur: aliquando enim materia liquori aliquot horis ante decoctionem infunditur, quo vires, quæ in tenuiori substantia consistunt, eliciantur, vt est facultas incidendi, attenuandi, aperiendi, resoluendi. At cum quorundam vires in crassiore sint substantia, vt in radicibus & lignis, quo maior vis eliciatur, diutius decoquuntur. Sic etiam vis purgantium medicamentorum infusione, nonnunquam etiam coctione elicitur. Quare tot tamque multiplices apozematum vires & vsus existunt, quot ipsorum simplicium atq; syruporum præsertim compositorum.

Iam vero quemadmodum syrups alii humorem biliosum, alii melancholicum, alii pituitosum præparant, alii denique serosum expellunt: & rursus ex his quidam capiti, quidam thoraci, ventriculo, hepati, lieni aliisque partibus profunt: Ita apozemata alia bilem, quædam pituitam, alia melancholicum succum, alia humorem aquosum respiciunt: & rursus alia capiti, alia aliis partibus conueniunt.

At licet medicamenta, quæ humores alterant,
vel